

eius dispositione & vase, si lento igne
 omnia regantur, philosophorum inde
 lapidem procreari necesse erit, Reste
 sane quis ita ratiocinari posset, si semen
 lapidis purū & numeris omnibus abso-
 lutum natura nobis tradidisset, prout
 frumenti granum aut alterius vegetabi-
 lis semeñ, quod terræ commissum & so-
 lis calore fotum, cœlique rore made-
 factum absque hominis adiutorio con-
 surgit in speciem similem ei vnde ha-
 buit originem, Sed naturæ non est con-
 cessum à Dco, vt inquit Lullius, quod la *Test. c.88.*
 pidem philosophorum possit generare
 sine ingenio & operatione manuum hu-
 manarum. Ideo præcipiunt philosophi
 lapidem corporea mole liberari, dein-
 de mundari à suis superfluitatib⁹, quod
 vt affèquantur, varia describunt regimi-
 na, quæ omnia igne tam lento fieri non
 possunt. Propterea nōnulli quatuor
 ignis gradus præcipuostradunt, præte-
 ritis inter hos medijs. Et quamuis vni-
 co igne per omnia æquali Elixir perfici
 posset, difficile admodum indicare es-
 set, vnde ignis ille componi, & calor i-
 stiusmodi excitari possit, cum in eo ma-
 xime varient auctores, Quidam enim
balnei calore, cinerum aut arenæ mate-
riam suam continendam asserunt. Au-

K s etor